

exesâ Corporum laceratione nutritur. Hic ignis est, qui, ut vetus Autor credidit apud Plutarchum, patrem & matrem, unde quis natus, devoret, nulli parcens impiorum, nec opus habens renovatione, quemadmodum Vestæ ignis, qui primò quôvis die Martii in ejus accendebatur aris, teste Macrobiô, & Ovidiô, sic canente:

*Adde, quòd arcanâ fieri novus ignis in ade
dicitur & vires flamma refecta capi.*

Sive igitur [ut hucusque dicta in summam contrahamus] facem illam Pythagoricam *de eternò igne* accipias, cave nè mortalem thronum eò unquam expurges: Sive *de animâ devotâ*, quæ nullos sibi terminos, nisi cum DEO, constitui patitur, exponas, vide, ne avaritiarum, injuriarum, voluptatum, aliæve mundi fœditates ac sordes occupent illam: aut, si per facem hanc *Deum* significari putas, quid majori curæ cuiquam esse potest ac debet, quàm ne in ipsum insurgas, & è fastigio suo detractum illum cupias? Sin *imperatorum symbolum* est in hac face; absit ut *ἀναρχία*, ruptis omnibus subjectionis, debiti, honoris, officiorum & servitiorum fœderibus, imperia, Regum ac Principum justas ac legitimas potestates, ac Reipublicæ sacræ fundamenta eversum eat. Sin *divinas literas* per hanc facem intellectas mavis; fac ne gemmeam illarum sapellentium pestilentium dogmatum & errorum cœnum collutulet: Quòd si *naturalem & Φύσιν & Παιδείαν* fax illa denotet; ita rimeris terrena, ut nec inanem famam lectatus ambitioni tradas te, sed hæc & alia supervacua contēnas. Sin deniq; fax ista totius humanæ *Philosophiæ* est hieroglyphicum; sciant omnes sub signis illius militantes, nunquam humana cum divinis, mala cum bonis, nequitiam cum virtute confundenda esse, ut ut illa horum specie incautis obrepere veliat. Quid multis? In quemcunq; sensum duxeris hoc emblema, semper quod discas inde, & plus quàm primâ fronte pollicebare, in eo reperies.

Tales faculæ & ignes, quorum fulgor quoquo versum penetrat, cum non nisi in scholis & Academiis rectè formentur & accendantur, par est, provideri à Daduchis, ne ob olei pabuliqve defectum lumen illorum paulatim obscuretur, aut exigui temporis morâ dissipetur aut
extin-